



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ethices Christianae, Libri Tres**

**Daneau, Lambert**

**Genevæ, 1579**

Cap. III. Definitiones virtutum, & vitiorum quæ ad septimum præceptum referuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41242**

ri amici, non aliud spectantes, quam Dei gloriã, & mutuã illius & specialis charitatis, quam inierunt, perpetuam conseruationem, atque accessionem. Est enim amicitia summum & præcipuum charitatis effectum.

A'φιλία potius, quam χθες, est amicitia contraria. Est autem cum quis nullũ huiusmodi cum nemine, etiam optate, & querente affectum induere potest, ex peruersa tanti amoris auersatione & contemptu.

Placabilitas χαπάλλαξις & συγγνώμη. Est offense atque iniurię nobis facta facilis & ex animo delitio & obliuio propter Dei præceptum, & in pristinam, cum eo, qui nos offendit, amicitiam reditio atque redintegratio.

Implacabilis autem animus illi cõtrarius est, & ab homine Christiano prorsus alienus. Atq; de præcepto sexto hæctenus.



## CAP. IIII.

Definitiones virtutum, & vitiorum quæ ad septimum præceptum referuntur.

**H**onestas publica σεμνότης, quam commendat Paulus, 1. Timoth. 2. v. 2. Est morum castitas, id est, sanctitas, & disciplina Verbo Dei consentiens, quæ in rebus externis & publicis legibus sancita est, & in omni ordinum genere apparet.

Huic contraria est ἀταξία, quam idem Paulus 2. Thes. 3. damnat. Est autem externa vitæ dis-

T. iij.

olutio, quæ vel in singulis: vel in toto ipso Reip. ordine apparet, manetque impunita, qualis fuit viuendi ratio Sodomis, & est vbiunque externa disciplinæ honestas inter homines nulla viget.

Sanctitas coniugij quam Paulus 1. Theſſalon. 4. vers. 3: & 4. commemorat, est finis huius præcepti, cui sanctitati reliquæ virtutes, quæ sequuntur, subseruiunt, quòd partem tantum vitæ, aut corporis nostri aliquam ad honestatem informant, & puram conferuent. Ex his autem virtutibus prima est

Temperantia *σωφροσύνη* dicta, tanquam *σώφρον* *σωφροσύνη* quemadmodum scribit Aristoteles. Hæc Cardinalis virtus appellatur, sicut & Iustitia & Fortitudo, & Prudentia, quòd ei plures aliæ virtutes, velut sociæ, aut ancillæ subiiciantur & famulentur.

Temperantia igitur est virtus quæ animi nostri motum & affectionem in voluptatibus corporis appetendis, fugiendisque, quantum Dei præceptum iubet, regit & moderatur. Ergo nõ tollit, adimitque temperantia sensum omnem suauem voluptatis corporeæ: sed eum tantum temperat, ne nos abducat ab officio. Quidam enim sunt affectus, atque etiam voluptates in nobis naturales, quæ non sunt tollendæ, sed potius moderandæ: Quidam etiam sunt & affectus & voluptates in nobis à peccato insitæ profectæ, quæ non sunt regendæ: sed omnino extirpandæ. Quam distinctionem cum ignorarent Stoici grauissimè sunt hallucinati. Omnes enim animi motus damnarunt, ac ex homine stipitem, atque

atque truncum, sublatis, damnatisque omnibus  
 animi affectibus, effecerunt. Versatur autem  
 Temperantia in omnibus voluptatibus defi-  
 niendis, & gubernandis, quæ aliquo corporis  
 sensu percipiuntur: maximè tamen in iis, quæ  
 gustu & tactu corporis sentiuntur, quales quæ  
 in Cibo, & rebus Venereis insunt. Vnde vim il-  
 lam generalem Temperantiæ spectas Plut. lib.  
 7. Symposia. cap. 5. pulchrè definit Intemperan-  
 tiam, his verbis, *ὅτιν ἀκρασία ἐπὶ ἐδωδῶν, ποτῶν, ἀφρο-  
 δισίᾳ, γὰρ σὺν ἢ ὁσφρησὶν ἀσχεχασία.* Item Augustin.  
 lib. 22. contra Faust. cap. 29. Si voluptates eate-  
 nus excitentur & sentiantur, quatenus ad repa-  
 randam vel custodiendam mortalem hanc vi-  
 tam pertinet, sunt delectationes honestæ: sin ul-  
 tra fuerint prolapsæ, sunt libidines turpes & illi-  
 citæ. Quatenus autem specialem & propriam  
 Temperantiæ materiam consideramus, quæ est  
 in Tactus & Gustus voluptatibus frænandis, re-  
 ctè idem August. lib. 2. De nuptiis. cap. 7. à Tem-  
 perantia usum & motum genitalium membro-  
 rum moderari scribit. Itémque rectè Aristotel.  
 lib. 3. *ἠθικ.* cap. 10. Versantur, ait, in iis voluptati-  
 bus temperata & intemperantia: quarum re-  
 liquæ participes sunt animantes: Illæ verò ma-  
 ximè sunt, quæ in cibo, potu, & coitu sentiuntur  
 voluptates, quas in Problematib. idem ipse &  
 A. Gell. lib. 19. Noct. Atticar. cap. 2. lib. 7. cap. 6.  
 homini cum brutis animantibus communes esse  
 docet. Aurium autem voluptatem, quales ex  
 Musica, aut oratione eleganti percipitur: item  
 oculorum aut olfactus delectationes reliqua a-  
 nimantia ferè neque consecretantur, neque cu-  
 T. iij.

Cap. 4. ETHIC. CHRIST.

rant. Vide Thomam in 2.2<sup>a</sup>. quæst. 141. & sequi.  
Huic autem virtuti opponuntur, Stupiditas, &  
Intemperantia.

Stupiditas ἀγαιθηνσία est earum Voluptatum,  
quas Deus homini ad se, suamque hanc vitam  
tuendam iniecit, vel nullus, vel hebes & obtu-  
sus sensus: quem qui amisit vel corpore sanus  
non est, vel saltem animo, quia vel non habet  
integros sensus corporis, vel syncerum animi  
iudicium.

Intemperantia, ἀκρασία est immoderatus vo-  
luptatum corporis cum adsunt, vel cum haberi  
possunt, usus & appetitus: vel nimi<sup>9</sup>, quod eæ ab-  
sint, iisque minimè fruamur, dolor, & tristitia,  
Iam ad alias virtutes veniamus, quæ sunt annexæ  
temperantiæ.

Sobrietas Νηφαλιότης, etsi generaliter accipi  
potest, tamen quando distinguitur ab Abstinen-  
tia, dicitur Sobrietas esse moderatio vini ine-  
briantis, mentem turbantis, & ad lasciviam nos  
vocantis. Huic opponuntur Vinolentia, Crapu-  
la, Ebrietas.

Hæc autem tria vitia penè sunt eadem, diffe-  
runt tantùm ut causa & effectus, quòd Crapula  
& Vinolentia sunt Ebrietatis causæ.

Est Vinolentia, οἴνοσις, Petro οἴνοφλυγία. 1. Petr.  
4. vers. 3. immoderatus vini appetitus, vel prava  
bibendi consuetudine excitatus: vel nimia deli-  
tiarum conquisitione comparatus.

Crapula, κραμπάλη, siue compotatio, ποῖτος, Pe-  
tro. 1. Petr. 4. vers. 3. est nimia vini, cibi que ingur-  
gitatio, & præter usum & vires naturæ sumptio,  
siue potatio.

Ebrie-

Ebrietas, *μέθη*, est effectus superioris vtriusque vitij, quia est tum ligamen ipsum rationis, vt aiunt, ex nimia & immoderata vini sumptione & bibitione contingens; tum nimia ipsa vini cuiuslibet assumptio. Luc. 21. vers. 34. Ephes. 5. vers. 18. vide Thomam quæst. 142. 143. & seq. 2. 2<sup>a</sup>. Aduersus quam ebrietatem vide pulcherrimū locum apud Rodolphum Gualterū in Homil. in epist. ad Galat. Homil. 50. in cap. 5. v. 20. Peccant enim ebrij in 3. hæc præcepta, Non accipies nomen Domini tui in vanum: Non mœcha-beris: Non furaberis.

Abstinencia, *ἔγκρατεια*, à Paulo *γυμνασία* dicta 1. Timoth. 4. vers. 8. 1. Corinth. 9. vers. 25. Est cibi vel somni ordinarij subtractio ad Dei gloriā, & carnis nostræ mortificationem necessaria, & à nobis obseruata. Quæ enim fit, quasi in ipsam naturam nostram sæuiamus, illa non virtutis: sed pessimi vitij, nempe Crudelitatis in nos ipsos nomine donanda est, qualis fuit veterum quorundam Monachorum. Huic contraria est tum Comeffatio, tum Gula.

Comeffatio, *κώμι* Petro. 1. Pet. 4. vers. 3. Est autem assidua cibi cuiuslibet, etiam vilissimi, & sæpius quàm necesse sit & expetant vires naturæ, sumptio, quæ vel in cœtu aliorum fit, vel seorsim à nobis solis ob immoderatam voluptatem, quam ex cibo capimus. Syriaca versio ebrietatem & comeffationem ita distinxit, vt ebrietatem *μέθη* ad nimium vsum vini referat: *κώμιον* autem comeffationem ad nimiam carnis sumptionem.

Gula, *λαχρεία*, & ingluuies. Est in cibo, somnó-

ve immoderata, & naturæ atque valétudinis fines excedens, delectatio, sed in cibo maxime. Quæ in re tripliciter peccari docent: in Cibi nimirum Substantia ipsa, si nimium exquisitus est cibus & delicatus. Quantitate, si nimius est, & non ex legibus sumptuariis. Qualitate, si nimium deliciose conditus sit cibus, qui tunc non cibus, sed Cupediæ dicuntur, gallicè *Friandises*.

Temperantiæ subseruiūt, Verecundia & Honestas, quæ contrarios Temperantiæ affectus domant in nobis & cohibent.

Verecundia, *αἰδώς*, Hanc magis affectui cui-dam, quàm virtuti similem esse dicit Aristotel. lib. 4<sup>o</sup> *ἠθικ.* cap. 9. Hic autem de Verecundia, quæ honesta est, & secundum Deum agimus: non autem vel de ea quæ tantum est secundum carnem: vel quam eorum pudet, quorum pudere non oportet. Est igitur hæc Verecundia sancta Virtus, quæ turpitudinem omnem Temperantiæ contrariam fugit. Id quod ipso vultus colore, in primis autem rubore patefacit & declarat. Est igitur testimonium sanæ mentis, & sinceri iudicij de rebus obscænis, adhuc in nobis permanentis. Hæc maximè est in Adolescentibus: minus in Senibus, propter ætatis & sanguinis penuriam, Huic opponitur Inuerecundia.

Inuerecundia. *ἀναρχνία*, est turpitudinis vel nullus, vel hebes & obtusus sensus. Quæ res vultus conscientie & deleti penè in nobis rerum honestarum & turpium spiritualis *κρίσις* ostendit. De vtraque vide Thomam in 2.2. quæst. 144. Ansel. in lib. De similitud. cap. 112, 113.

Pudor,

Pudor, αἰσχύνη, est verecūdię potissimus effectus. Est autē eius turpitudinis sensus, qui in nobis restat, testificatio, quę vel rubore vel pallore vultus fit. Nam quidam pudentes erubescūt, quidam pallent. Quanquam Scholastici sic pudorem à pallore (ἀσχίασις vocant Gręci) distinguunt, vt pudorem dicant p̄cedere malum & turpe iam perpetratum. Pallorem autem esse metū & sensum mali adhuc perpetrandi, & nōdum perpetrati. Huic contrarius est Pudor immodicus, & in iis rebus, de quibus minimē est pudendum, quem Plutar. in lib. de eo argumento scripto, δυσωπία vocat.

Pudicitia, à Pudore dicta est, quę eadem esse videtur, atque Castitas, ἀγνότης, etsi Scholastici distinguunt hoc modo.

Pudicitia est, aiunt, ea animi virtus, quę non tantūm omnia externa illegitimę veneris signa tollit & abolet in nobis, ne vlla appareant: sed etiam quę omnino cordis & affectus mundi, & à Venere impura immunis signa demonstrat. Itaq; & dicta & facta nostra moderatur, omnēque delectationes auersatur, siue eas videndo, siue audiendo, siue t̄gendo capiamus, per quas appetitus ille scortationis irritatur vel prouocatur in nobis. Maximē enim circa Venerea regenda versatur Pudicitia.

Castitas est integritatis tum animi, tum corporis nostri & ab omni coitu illegitimo puritas: denique ab omni commixtione, quę p̄ter vel fidem à nobis datam, vel Dei p̄ceptum fieret, integritas & conseruatio, I. Corin. 7. vers. 34. quanquam lib. I. De ciuitate Dei, August. cen



set etiam eam castam esse dicendam, quæ corpore polluta est, sed inuita. Ergo triplex est Castitas, Maritalis, quæ in coniugio seruari debet à coniugibus: Vidualis, quæ à vidua: & Virginalis, quæ à virgine custodiri debet, donec illis omnibus ex Dei lege honestè nubere liceat. De vtraque virtute Thomas in 2.2æ. quæst. 115.

His duabus virtutibus opponuntur, Impudicitia, & Immundicia.

Impudicitia, *ἠμωδία*, vel *ἀνιδέητος*, nomine sæpe appellatur: sæpe *ἀναρχονίς*, quæ quid sit, ex superiori definitione, quæ de Pudicitia allata est, intelligi facillè poterit. Est autem quæ inhonestæ libidinis intus ardentis signa aliqua profert externè, vel dictis vel factis. Vnde omnes gestus inhonesti, & nictus oculorum Veneris conciliandæ gratia coniecti affectationes mulierû, stultiloquia, & sermo putris & obscænus, quem Paulus *σαωθεν* appellat. Ephes. 4. vers. 29. & 5. vers. 4. sunt huius impudiciæ species, & partes, & effecta turpissima.

Immundicia, *ἀκαθάρσια*, est omnis pollutio corporis nostri per coitum illegitimû admissa. Est multiplex, vt in explicatione huius præcepti docuimus. Est enim Coitus cum Dæmone: Bestialitas coitus cum bruto animanti: Sodomia, Incestus, Adulterium, Raptus, Stuprum.

Sequitur Honestas, quæ est altera temperantiæ famula, & illius velut in animis nostris obfretrix. Nam illi nostros animos præparat, dum obiter affectus rationi contrarios ex animis nostris euellit iam insitos: aut ne inserantur, obstat & impedit.

Honestas

Honestas versatur in externis rebus regen-  
dis, & iis quidem aliis, quàm quas pudicitia,  
vti diximus, moderatur. Itaque honestas hæc  
versatur partim in Vestitu & cultu corporis, Or-  
natus dicitur: vel in Ludis & Iocis lasciuus tol-  
lendis, Grauitas.

Honestas *σεμνότης*. Est autè quæ externa quæ-  
dam moderatur & tollit, ex quibus Veneris il-  
licitæ appetitus vel excitatur, vel fouetur in no-  
bis.

Ornatus *κοσμιότης*. Est vestitus cultusque cor-  
poris, qualis nos pro ratione personæ decet,  
moderatio, ne quid sordidum vel lasciuum vel  
affectatum in eo insit, vel appareat. Peccatur e-  
nim in eo genere variis modis, & multa sæpif-  
simè fiunt præter decorum, præterque sexus,  
aut personæ nobis à Deo impositæ rationem,  
quibus etiam fratres offenduntur. Peccatur e-  
nim vel in vestium nimio Pretio, Nitore, For-  
ma, Ornamentis & Mollitie, id est, & addi-  
tione varia, quæ illis adiicitur. Neque enim sor-  
des in vestitu nostro esse debent: neque etiam  
in eo exquisitum quiddam, & præter decorum  
sectandum. De qua re sunt præclarissima etiam  
M. Tullij præcepta. Sed Pauli potius & Petri  
sanctissimorum Christi Apostolorum 1. Tim.  
2. 1. Pet. 3. atq; adeo ipsius Isaia, Prophetæ Dei  
Isai. 3. videat Thomam qui volet 2. 2<sup>a</sup>. quæstio.  
169. Huic virtuti contraria sunt vitia Sordes &  
Luxus.

Sordes *βαρανοία* est nimia in honesto, & qui  
nos decet, corporis vestitu tuendo supinæque  
negligentia, vel ex auaritia orta: vel ex propriæ

Cap. 4. ETHIC. CHRIST.

dignitatis contemptu. De hac ipsa agit Aristot.  
tum lib. 4 tum lib. 7. Ethic.

Luxus & Profusio *Ἀσωνία*, est nimia cultus,  
vestitusq; corporis nostri cura vel etiā sumptus  
in eo nimius. Hæc autem variis ex causis oriri  
potest: vel ex ambitione, vel ex turpi libidine  
atque placendi studio.

Gravitas in ludis & iocis est, quæ in vtrisque  
nihil lascivi & impudici habet: sed nec in vlla  
animi nostri recreatione quicquam immundi  
& turpis esse finit.

Proteruita *Ἀσέλγεια* huic videtur contraria.  
Est autem cùm in vtrisque aliquid ad inhone-  
stam venerem excitandam, vel ad excitatam  
fouendā dicimus, facimúsque lubentes, quasi ab  
a priuatiua particula & *σέλγη* quod est splēde-  
re, quòd tales minimè honesti vel lucidi, sed sem-  
per foetidi, & sordidi esse soleant. In epistola  
ad Galat. cap. 5. vers. 19. Syriaca versio conuertit  
*ἀσέλγειαν* Fœtorem. Bernardus, Dolor, ait, con-  
tinuus est cordi meo, quòd nonnullos tam pra-  
uos ad leuitatem, ad risum, & ad scurrilia verba  
tam faciles video. Atque hæc ferè sunt vir-  
tutes, & vitia, quæ ad hoc præceptum sextum  
pertinent.

CAP.